



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institutionum Juris Canonici Sive Primorum totius Sacrae
Jurisprudentiae Elementorum. Libri Quatuor**

Febeo, Francesco Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1704

VD18 13560743-001

De Jure Canonico in genere, ejusque origine

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63052)

1

I N S T I T U T I O N U M J U R I S C A N O N I C I, T I T U L U S P R O O E M I A L I S.

De Jure Canonico in genere, ejusque Origine.

1. **D**ivino implorato præsidio Institutiones Sacri Juris aggredior, hoc est brevem Sacrorum Canonum methodicamque synopsim, quam cultiori disciplinæ legali præambulam esse debere, tum præceptum Justiniani in proœmio Digestorum, tum magistra rerum experientia declaravit. Mirum enim quantæ facilitatis compendium est, Tyronum mentem ordinata illa perbrevisque rerum tractatione perpolire, qua uno velut intuitu summa rerum primùm aspiciant, ac deinde ad rimanda diligentius singula operam revocent.

2. Quòd attinet ad ordinem, non alius mihi servandus proponitur, quam quo digestæ sunt Institutiones Cæsareæ, quem sapienter quoque imitatus est Lancellottus in Institutionibus suis: diviso scilicet in quatuor libros opere, in quorum primo de personis Ecclesiasticis agatur, in secundo de rebus, in tertio de Actionibus, & Judiciis, in quarto de criminibus, & pœnis Ecclesiasticis: sub his enim re-

▲

rum

Titulus Proximalis

2
rum generibus omne jus, quo utimur, comprehenditur, ex *l. 1. ff. de statu hominum*. Sed, & his omnibus in hujus primi libri vestibulo præmittenda sunt proximalia nonnulla circa Jus Canonicum in genere, ejusque Originem ac proprietates, quæ primò accedentibus ad legalem Disciplinam sunt cognoscenda: ne illotis quodammodo manibus (ut dicitur in *l. 1. ff. de Origine Juris*) protinus materiam ipsam interpretationis tractemus, neglectis earum rerum præfationibus, quæ & libentius nos ad propositæ materiæ lectionem invitant, & cum ad eandem materiam venerimus evidentiorum præstant intellectum.

§. I.

Quid & quotuplex sit Jus.

3. **J**us est generale nomen, quod in multiplici significatione sumi solet à Theologis & Juristis. Aliquando enim sumitur ut est idem quod justum seu conforme Legibus particularis Justitiæ, cujus est reddere alteri debitum & æquale. Ita sumitur in *l. Justitia 10. ff. de Just. & Jure*, ubi dicitur ad Justitiam pertinere unicuique Jus suum tribuere.

4. Frequenter quoque sumitur nomen juris pro potestate legitima seu à lege concessa, quam quis habet vel circa rem suam, vel ad rem sibi debitam; Et hoc modo dividi solet in Jus ad
rem